

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**D. Gebh. Theodori Meieri Theologi & Prof. in Academia
Julia Antichiliasmus Absolutissimus**

Meier, Gebhard Theodor

Helmstadii, 1696

§. XLII.

urn:nbn:de:bsz:31-105465

Matth. V.12. (ex quo loco idem etiam in Programmate antichiliastico Summe Venerabilis Domini Præceptoris demonstratum est) dicens: *Gaudete & exultate* (vos qui persecutio[n]es & contumelias propter me patimini) *quoniam magna erit merces vestra in COELIS*, ad cuius argumenti vim infringendam ne iota quidem afferre potuit D. Animadvertisens. Addo etiam alterum ex *1 Pet. I. 3.4.* *Deus nos regeneravit ad hereditatem incorruptibilem, quæ nobis reservatur in COELO.*

XLII. Assertio vigesima tertia: Quin statim post reditum suum e cœlo Christus assumet fideles suos in domum Patris sui, ubi jam diu locus ipsis est paratus. Domum Patris per ipsam cœlestem beatitudinem (non vero per paradisum chiliaesticum) explicat ipse D. Animadvertisens §.8. ubi ita scribit: *Absoluto die nuptiarum* (tempore regni chiliaстici) *Agnus virginum suum gregem tanquam sponsam suam in domum Patris inferet*, & ita aperte domum Patris post tempora chiliastica collocat; Quo præmisso provoco ad verba Christi *Job. XIV.2.* ubi discipulis suis mansiones jam paratas esse in domo Patris sui, dicit. Erunt ergo mansiones hæ idem cum possessione regni, de quo *Matth. XXV.31.* est sermo, cum illud similiter piis ab origine mundi sis paratum, ut adeo regnum hoc necessario poni debeat in domo Patris seu cœlo, quod etiam probatum est in thesi præcedente. Quod autem Christus statim pios post adventum eo deducturus sit patet ex versu 3. *Redibo, dicit' ibi, & vos ad me assumam, ut sitis ubi ego sum.* Quem vero alium in locum, quam in mansiones in domo Patris de quibus ante egerat? Hoc siquidem connexio textus necessario requirit. Atque hoc ipsum argumentum, in Programmate dicto adducum,

Etum, non potuit infringere D. Animadvertisens, sed silentio prætermisit, eodem modo ut antecedens.

XLIII. Assertio vigesima quarta: Non igitur aliud regnum gloriæ pii possunt expectare, quam illud, quod in omnem æternitatem in domo Patris obtinebunt. Infertur hæc ex præcedentibus, siquidem regnum hoc statim post adventum Christi piis donabitur, ut ostensum est in proximâ thesi, durabit autem in omnem æternitatem, juxta assertionem vigesimam primam. Ante adventum vero Christi, regnum gloriæ pii nullum obtingit, sed perpetuis objecti sunt illi calamitatibus, ut ostensum est in assertione decimâ: Nullum igitur poni potest tempus in quo alterum aliquod regnum gloriæ fideles possint adipisci.

XLIV. Atque ista ex ipsius fidei nostræ orthodoxæ, quam cum lacte materno imbibimus, Capitibus desumpta, & infallibilibus Scripturæ S. testimoniis evidenter comprobata, tantæ sunt certitudinis, ut & maiores nostri hymnum illum de extremo judicio, in quo omnia quæ in præcedentibus prolixius deducta sunt, brevibus comprehenduntur, certitudinis suæ his thesibus declarandæ gratiâ ita inceperint: Es ist ge wißlich an der Zeit &c. Hunc hymnum in Ecclesiis nostris toties decantatum & manifestis Scripturæ S. testimoniis innixum, merito tanti æstimare debemus, ut si quid illi, ceu fidei nostræ ipsi adversum proferatur, contra illud totis viribus, cunctis veritatem amantibus strenue sit dimicandum.

XLV. Quod si autem cum hisce conferatur dogma chiliaisticum, tantum hic utique reperietur differentia, ut summo cum jure Summè Venerabilis Dominus Præceptor in suo Programmate antichiliastico dixerit,